

multo notandum in sapientia ab his, illi ministris, quod non sicut illis
admirandis aperte solum in militari munitione et aliis honoribus, sed etiam
in civili servitio, etiam in marinis munitionibus, quoque
conceduntur, etiam in exercitu, etiam in armis, etiam in exercitu, etiam in exercitu,
etiam in exercitu, etiam in exercitu, etiam in exercitu, etiam in exercitu,

etiam in exercitu, etiam in exercitu, etiam in exercitu, etiam in exercitu, etiam in exercitu,
etiam in exercitu, etiam in exercitu, etiam in exercitu, etiam in exercitu, etiam in exercitu,

C. Claudio carmina mirum est quot quantosque casus per temporum vicissitudines suscepint. Quae posteaquam primum cum propter argumenti splendorem
tum propter orationis et sententiarum elegantiam multorum animos in se converterunt
plurimis libris divulgata, post, sicubi a doctis Italos emitti copta sunt, ita eruditorum
ingenia ad edendi, explicandi, emendandi ardorem evocaverunt, vix ut tum quidem
ulli poetae Romano maior honos habitus videatur. At haec hominum studia concer-
tantia ipsa Heinsii felicitas et industria quae debebat incitare, eadem repressit, cessa-
tumque nescio quo pacto ab opere est, quum immixti certis fundamentis amplioresque
processus sperare liceret. Ac ne haec quidem aetas literarum subsidiis, si qua
unquam, munera et eorum, qui in hac parte elaborant, ingenii abundans quemquam
vidit, qui inchoatam a Koenigio ante hos fere sexaginta annos rem aut ad finem
perduceret aut de integro mallet instituere. Itaque dignus profecto poeta sive ab
ingenio et arte sive ab omni genere labis contractae, in quem studii et operae quam
plurimum conferatur, omnium obliuione et contemptu oppressus iacet. Hac tam
luctuosa condicione adducti sumus, ut patefactis quibusdam vitiis multo plura latere
probaremus ostenderemusque, quam latus et sagacitati et diligentiae campus pateret.
Nam involuta quasi ulcera aperire ut facile nonnumquam est, ita invenire remedium
plerumque difficile, omnibus probare difficillimum: ad quod negotium gerendum si
plures excitaverimus ut confluant, satis hac commentatione videbimus profecisse.

Itaque initium capiemus ab eis versibus, qui manifesta maculae susceptae
vestigia praesertim ferentes adhibito simplici medicamento persanari posse videntur.
Quorum agmen ducat ille locus, quo temporum felicitas Honorii sapientiae debita
describitur (IV. Cos. Hon. 498.): cuius rei cum alia documenta proferuntur tum hoc:
Citandi verbum forense esse maximeque dici aut in reis aut in testibus satis constat.
At sectoris si natura et proprietas consideretur, neque citare est neque citari, ut

nihil dicam, quam obscure adjiciantur illa ,avida voce': quae cui tribuantur plane ignoratur. At sectoris triste et invidiosum negotium a multis saepe scriptoribus commemoratur; eiusque negotii primam partem fuisse liceri quivis facile concesserit. Itaque ut de sectore recte pronuncietur et illa, ,avida voce' ut habeant, quo referantur, scribendum est

,avida sector non voce licetur.'

Romae deae precibus bellique Gildonici periculo imminente efficitur, ut Theodosius Magnus relicto caelo ad Arcadium filium descendant monitus, ne qua cum fratris totiusque imperii pernicie clandestina cum hoste et proditore consilia communicet. Qua in oratione leguntur haec (Bell. Gild. 249—255.):

Restitit in speculis fati, turbaque reductus

250. Libravit geminas eventu iudice vires.

Ad rerum momenta cliens seseque datus

Victori. Fortuna simul cum Marte pependit.

Et si non cupidis essem praereptus ab astris,

Exemplum sequerer Tulli, laniandaque dumis

255. Impia diversis raptarem membra quadrigis.

Ea omnibus editoribus sicut scripta sunt mirum in modum placuerunt insoliti aliquid, ut levissime dicam, inesse ne verbo quidem significantibus. Verum quid est illud ,ad rerum momenta cliens'? Sive enim id substantivum nomen esse putamus, quo quidem significatu saepissime Claudianus usurpavit, sive — id quod ferri posse in poëta elegantissimi sermonis aemulo nego — participium a vetusto illo

cluendi verbo ductum, neutro modo neque insolitam verborum consecutionem excusari neque idoneam sententiam elici posse dico. Quamquam quid sibi voluerit ille apertum

est: Gildonem in belli vicissitudines vel laetas vel asperas intentum fuisse de-

monstrat. Verum eandem sententiam quum finitimo vocabulo extulerit ita Proper-tius V, 3, 62.:
Succinctique calent ad nova luera popae'

non veremur ne in temeritatis crimen incurramus refingentes

Ad rerum momenta calens.'
Neque vero relinquere hunc locum decet et committere, ut vitium haereat

longe gravius illo et iocularius ab editoribus aut omissum aut prudentissimi poëtae,

cui haud facile inconsiderati quidquam excidit imprudenti, socordiae assignatum aut

denique, id quod vix credas, defensum et explicatum. Scilicet si quis quadrigis

diversis distrahitur, in summo corporis crueiatu duinos et sentes magnopere curabit!

At qui poëtae succurrere studet Burmannus ita rem aggreditur, ut data opera verum

praetermisso videatur, quippe qui restituendum arbitretur vel „duris” vel „diris”, plane neglegat id, quod et literarum vestigiis et sententia commendatur, „durus”. Quam vocem consulto poëta in ipsa versus clausula magna cum vi — sicut fecit eiusdem carminis v. 397. et Eutrop. I, 390. — collocavit eo consilio, ut significaret, quam bonus et clemens ceteris rebus princeps (v. IV. Cos. Hon. 111. sq. VI. Cos. Hon. 55. sq.) crudelitatis exemplo edito sui dissimilis evasurus fuerit. Hoc loco Koenigius sui ingenii periculum faciens negotium infelicissime gessit; nam ita rem transegit: „Melius forsan, inquit, foret viri. Vergil. Aen. VIII, 644.” Id quod fieri potuit ut excideret homini non tam est mirum, quam quod placuit Artaudio. Iamque hunc locum emendatum putabimus revocata praeterea librorum scriptura, quam immerito editores deseruerunt. Ac primum codicum si minus principi, at certe a principe et praestantia et aetate secundo id tribuemus, ut pro „Marte” reponamus „mente”, si quidem hoc loco fortuna nihil aliud est quam ipse belli eventus; deinde omissa Heinsii coniectura veterem librorum lectionem, quae a voce „lanianda” praesidii aliquid habere videtur, restituemus „aptarem”.

Eutrop. I, 19:

Quae tantas expiet iras

20. Victima? Quo diras iugulo placabimus aras?

Ibi quid significant „dirae arae” frustra quaesivi. Nam eas, quas commemorant Ovidius Metamm. X, 224. XIII, 409. Lucanus. Phars. I, 244—246. III., 404. hominum sanguine pollutas quum ulti concedam merito dici diras, tamen Claudianus, qui deorum et nomina et munera saepissime usurpat, sacrificia et caerimonias ut temporibus illis vix unquam attingit, neque cuius dei neque quibus sacris aras quis contaminavisset debebat tacere. Sed quae et paullo ante et post repetita leguntur vocabula „monstra nefas prodigium omen” persuadent poëtam hoc quoque loco posuisse diras i. e. funestum auspicium. Quae vox quum perperam haberetur a librariis pro adiectivo, configendum erat necessario substantivum aliquod, cum quo illud connecteretur. Itaque nos contrariam viam ingressi e voce „aras” eruemus id nomen adiectivum, unde haec vox fluxit, restituemusque, quod ab illo vocabulo proxime abesse videtur, „atras”: idque et diris et placandi verbo concinere non opus est pluribus monere.

Roma ipsa Stiliconem et precibus ad ineundum consulatum pellicit et donis: quibus descriptis ita pergitur Cos. Stil. II, 362:

Talibus invitat donis, dextraeque gerendum

Diva simul porrexit ebur. Sollemnibus urnam

Commovet auspiciis avibusque incepta secundat.

Urmām Barthius ad comitia consularia referre videtur; servatis, inquit, omnibus caerimoniis et observationibus veteris instituti. Verum urnarum usus est in iudiciis et in tribuum sortitione, non in suffragiis ferendis, quae cives in consule faciendo in eistam demisisse constat. Contra Gesnerus nescio quid de veterē auspiciōrum ritu latere suspicatur. Quod de auspiciis cogitat, recte facit, sicut insequentia probant; quid rēm obscuram nec alibi cōmemorātam putat designari, fallitur scripturāe vitio deceptus. Nam quid Rōmae cum urna, quae est fluviorū (v. Heins. ad Cos. Prob. Ol. 213.)? At fulmina et tonitrua in omnī numero habita esse ut satis constat, ita Claudianus ipse declarat Cos. Prob. Ol. 208.:
Prospēra vibrati tonuerunt omnia nimbi.
Iam quin idem non solum Iovi, verum etiam Romae earum rerum arbitrium tribuat (v. Bell. Gēt. 511.), restituendum puto, *a uram* vel quod malim, *a uras* plurativo numero. Error librariorū unde fluxerit perspicuum est. Atque literarum a et u mixtarum plura apud Claudianum exempla extare crediderim. Etenim quae leguntur Cos. Prob. Ol. 93.:
galeaeque minaci

Flava cruentarum praetenditur umbra iubarum'
ibi aliud atque flavum desiderari colorem efficitur eis, quae subsequuntur, cruentarum et umbra'. Verum ad *flava'* facile fieri potuit ut aberraretur a voce *fulva'*. Itemque Eutrop. II, 478.:
Rarus apud Medos regum cruor, unaque cuncto
Poena manet generi, quamvis crudelibus aequē
Paretur dominis! —
quum regum ordo aequē crudelium ne fingi quidem possit, nedum fuerit, et id indicet poëta Parthorum condicionem et res saepius Romanis opponens (IV. Cos. Hon. 214.), superbe et crudeliter semper illos reges dominari in cives infidos et seditiosos, suspicor scriptum olim fuisse non aequē, sed usque: quamvis inquit, perpetuo crudelibus dominis paretur apud Medos, tamen rarae sunt régum neces.

Rufin. I, 230.:
Non coniunx, non ipse simul, non pignora caesi
Sufficiunt odii. Demonstratur, quam graviter Rufinus in eos consuluerit, qui profundae hominis avaritiae auderent resistere. In quo valde displicet illud *caesi*, siquidem ipse praecessit; nec melior est aliorum librorum lectio *caesa*. Verum quum paullo post dicatur non celeri suppicio, sed lentis cruciatibus iram fere explesse, ne recte

quidem videtur legi „caesi”. Quae quum ita sint, illa vestigia secuti lenissima mutatione efficiemus „caecis”: quae vox ad „odiis” relata repetit sententiam superioribus versibus uberior explicatam. Eademque haud scio an eiusdem carminis v. 16. sit restituenda. Nam ad corporum individuorum fortuitum motum, quem in mundi artificio explanando commentus erat Epicurus, spectant haec:

15. causaeque viam non sponte sequebarūt. q̄d. v̄t̄lōb̄ 19

Alterius, vacuo quae currere semina motu. oīoīl̄ v̄l̄l̄f̄. n̄t̄.

Affirmat, magnumque novas per inane figuras

Fortuna, non arte, regi.

, Vacuus inanis futilis’ quamquam inter se finitura esse concedo, tamen hic aliud quid requiri confirmatur voce subsequentē „Fortuna”. Itaque caecis motu puto scribendum esse. Cos. Stil. III., 286—288. Diana contendens ipsa let laborans inducitur, ut Stiliconis ludi consulares fiant quam splendidissimi. Quid autem? Quam eandem appellat Phoeben, Hecaten, Triviam saepius, ubi, si accurate agere poëta vellet, nuncupanda erat Diana (Nupt. Hon. Mar. 236. Rapt. Pros. II, 27. Saud. Leren. v. 141., quo spectari Odyss. VI, 102. apparet) eam probabile est dici ipsam sibi peperisse cervas, quibus veheretur? Neque qui concesserit Lunam saepe fingi bestiarum parentem (v. Senec. Herc. Fur. 81.), rei difficultatem expediverit. Sed facile hanc tantam labem ab elegantissimi iudicii poëta detergebimus. Nam diligentius perpendenti quo illa primi sub limine coeli et roscida referantur, vix erit dubium, quin Claudianus candem deam descripscerit, quam Ovidius obscuritatis crimen non veritus depinxit verborum ornatum simillimo A. A. III, 180.:

Roscida luciferos cum dea iungit equos’
i. e. Auroram. Itaque scriptum primo fuisse puto sic:

, Roscida fecundis concepit diva cavernis.’

Et recte potuit cervis velocissimis ea parens tribui, quae cum ipsa esset alata Pegaso que alato veheretur, ventos rapidissimos Boream, Zephyrum, Austrum genuisse traditur.

Ac levius in eodem genere mendum, sed poëta non minus indignum tollemus IV. Cos. Hon. 593—595.:

Qua tantum potuit digitis mollire rigorem.

Ambitiosa colus? vel cuius pectinis arte?

595. Traxerunt solidae gemmarum stamina telae? Haec subiecit descripta Honorii consulari veste. Sed „digitis” obstare videtur quoniam „colus” a Claudiani manu profectum esse putem. Eademque ratio antiquitus

movit librarium nescio quem, ut quo apte referretur ,digitis' rudi arte confingeret. Nam in libris quibusdam non ,colus' legitur, sed ,manus' minus eleganti, si quid video, invento: nam digitis commemoratis omitti sane illud vocabulum poterat. Seripserat Claudianus fortasse ,nurus': eamque recte dixit ambitiosam, quippe quae, dummodo Augusto artem suam et ingenium probaret, vel magnos et labores et dolores pro nihilo duceret.

Mallio Theodoro delatum consulatum gratulans Claudianus haec dicit v. 14.:
Nil iam, Theodore, relictum,

Quo virtus animo crescat, vel splendor honore.'

Eius sententiae partem alteram nemo non intelligit. Theodori dignitatem ullo honore augeri posse negat. Verum quid tandem istuc est ,virtus animo crescere nullo iam potest'? Ea ipsa voce turbari nunc sententiae concinnitatem appareat, qua olim continebatur. Itaque quanam re virtus videri possit crescere quaeritur. Cuius laus omnis quum consistat in actione, sicut ipsi Claudiano placet haec ponenti (IV. Cos. Hon. 222.):
,Maior et utilior fato coniuncta potenti,
,Vile latens virtus',
enī sententiae assentitur Symmachus Ep. IX, 86. Par, minui dico virtutem in obscuro et tenui loco collocatam, crescere honore et ampla sede auctam, in qua explicare sese et magnarum rerum gloria probare civibus possit: eandemque sententiam quum referat huius carminis v. 261.:
,Crēscite virtutes, secunda refloruit aetas,

:Ingeniis patuit campus'
indicari puto pro ,animo' restituendum esse ,campo'. Huius vocabuli litera prima cum facile fieri posset ut proximi postrema obliteraretur, quod reliquum erat, ad erroris inventi speciem quam proxime accedebat.

In carmine de IV. Cos. Hon. Theodosius describitur filio et reipublicae gerendae et bellorum administrandorum praecepta dans. Ibi v. 332. leguntur haec:

,Si longa moretur

Obsidio, tum vota cave secura remittas

Inclusumve putas.'

Mirum sane est, quod filium iubet cavere, ne, si diutius obsidio hostium trahatur, urbem inclusam putans in calamitatem incidat damnumque insciens contrahat. Nam qui longiore obsidione premitur, is nihil profecto obstat, quominus, quandoquidem est inclusus, inclusus existimetur ab eo, quem quid rei geratur maxime omnium scire consentaneum est. Atque eadem vox loco simillimo

librorum errore obtrusa repetitur Rapt. Pros. II. 165., qua eiecta sagaciter in vetustis editionibus coniecit nescio quis ,elusos'. Ac fuit, quum idem vocabulum huic versui, unde orta est disputatio, putarem restituendum, nisi obstitisset speciei discrepancia. Sed quum viderem veteri Honorium in diurna obsidione de diligentia quidquam remittere, ne hostem fame et omnium rerum inopia labefactatum putans praeter opinionem opprimeretur, literarum apices secutus postremo substi*tuit* in voce ,impulsum ve.' In qua qui inest evertendi et labefactandi significatus ne a Cicerone quidem alienus, eum maxime arripuerunt, quorum exemplum in conformanda oratione praeter ceteros intuitus Claudianus est, Lucanus et Tacitus.

In eadem Theodosii oratione exponitur de animae partibus per corpus divisis. Ac de ira quidem haec (IV. Cos. Hon. 244—247.):

,Cumque omnia secum
Pulpa II.

245. Duceret, et requiem membris vesana negaret,
Invenit pulmonis opem, madidumque furenti
Praebuit, ut tumidae ruerent in mollia fibrae.'

Ibi illa ,madidumque furenti praebuit' vereor ut recte dicantur: nam quum rei natura obstet, quominus illi voci primariam vim et notionem, in qua acquievit alibi Claudianus, tribuamus, confugiendumque eo sit, ut idem esse videatur atque ,putre molle tenerum' offendimur repetita proximo versu eadem sententia. Sed totus locus sicut Platonis placita redolet, ita Claudianum data opera philosophi verba expressisse declarat. Nam ,pulmonis opem' posuit interpretatus ,επικονφίαν τὴν τοῦ πλεύμονος ἰδέαν ἐνεργήτευσαν ex Timaeo p. 70. C: ubi quae addita sunt ,πρῶτον μὲν μαλακὴν καὶ ἀνατιμον' illi voci, de qua quaeritur, adversantur vel maxime. Contra illorum ἵνα — ανατινοὺς καὶ ἁστράνην εἰν τῷ καύματι παρέχοι alteram partem quum spectasse Claudianum appareat, probabile est etiam priora indidem translata esse. Itaque ausim reponere eandem vocem, quam diu eiectam Lachmannus (ad Luer. V, 311.) restituit Horatio Carmm. I, 32, 15. medicumque.

Sed ad Lucretii memoriam quoniam casu devenimus, si quid hoc poëta adhibito auxiliu Claudiu nostro ferre possimus experiemur: eum enim suo ingenio diffisum aliorum exempla diligentissime spectavisse post demonstrabimus. Itaque in concilio ducum de Tarbigilo opprimendo advocatorum Leo e servo lanifico praefectus factus haec confirmat II. Eutrop. 397.: Iam cuncta furore
Qui gravat, efficiam leviorem pondere lanae
Tarbigilum tumidum —

Ibi ,gravat' et ,leviorem' quoniam praemisit, jure quis exspectaverit, ut res aliqua quam constet esse levissimam commemoretur: quod contrà ambigue posita sequuntur ,pondere lanae'. At lanam ipsam nemo unquam quod sciam in levissimis rebus numeravit; nec si voluisset a ceterorum ratione Claudianus dissentire, lanae levitatem ita ut scriptum videmus poterat significare. Sed quum Lucretius levissimam rem gravissimae opponens plumbum comparet cum lanae glomere I, 360.:
nam si tantundemst in lanae glomere quantum corporis in plumbō est — vereor ne illum imitatus Claudianus ediderit ,leviorem glomere lanae'. Id si probabiliter conjectimus, accedere aliquid praesidii vocabulo a Lachmanno timide admisso cautissimi poëtae auctoritate videtur.

Eutrop. II, 248—251.:
, Nuper ab Oceano Gallorum exercitus ingens

Illis ante vagus tandem regionibus haesit

250. *Gaesaque depositus iam Graio mitis amictu,*

Pro Rhenō poturus Halyn.'

, Nuper' non sum ignarus ,generaliter remotae antiquitati opponi, ita ut valde mobilem fluentemque significatum habeat' (Kritz. ad Tac. Germ. I, 2. Schoem. ad Cie. Nat. D. II, 5, 14). Qua in re quum tantum sibi Cicero sumeret, ut Div. I., 39. auderet dicere philosophiam nuper inventam, quae sexto ante illius aetatem saeculo primos haberet sectatores, et simili audacia poneret Nat. D. 2., 50. ,nuper, id est paucis ante saeculis', tamen Claudianum insoliti sermonis adeo aucupem fuisse nego, ut aliorum conamina vel transire studeret. Nam Galatae in Asia considerant ante illos prope septingentos annos. Accedit, quod vox ,ab Oceano' unde pendeat frustra quaeritur. Itaque ne quid mendi subsit vereor. Et quum eiusdem carminis v. 158. Gothorum gentem appelleat ,Arctoum advenām', Cos. Stil. III, 171. Aesculapium ,Epidaurium hospitem' adducor ut Claudianum scripsisse putem ,hospes ab Oceano'. Cf. v. 569.

Laud. Seren. 89.: Quacunque per herbam

90. Reptares, fluxere rosae, cendentia nasci

Lilia.'

Suspicionem legenti movet necessario illud ,nasci', si quidem neque proximo verbo respondet nec ullo simili infinitivo excipitur. Itaque ne sine causa invenuste variare Claudianum orationem sinamus, scribemus cunctanter assentiente Burmanno ,passim', quod commendari videtur sententia ad eundem modum conformata

Ruf. I, 383. Et sunt multi praeterea loci, ubi librorum vitio, non poëtae incuria scabra et horrida fluat oratio. Itaque Cos. IV. Hon. 500., qui versus sic fere scribitur:

Munificus largi, sed non et prodigus auri
puto a Claudiani manu esse:

Munificus, largi sed non es prodigus auri.

Nam primum qui largi auri munificus est, — ut nihil dicam quantopere genetivus displiceat ab illo adiectivo aptus — a prodigo non multum distabit: tum illa ita dicuntur, quasi munificus idem esse possit prodigus.

Itaque Cos. Mall. Theod. 206—212., ut ad eum sese oratio reflectat, propter quem comparatio instituta erat, sic refingo:

Sed ut altus Olympi

Vertex, qui spatio ventos hiemesque relinquit,

Perpetuum nulla temeratus nube serenum

Celsior exsurgit pluviis, auditque ruentes

210. Sub pedibus nimbos et rauca tonitrua calcat:

Sic patiens animi per tanta negotia liber

Emergis similisque tui',

non ut librariis et editoribus placuit ,emergit similisque sui'. Ceterum animi quum non recte in codicibus quibusdam abierit in ,animus', erroris fons et origo patet.

Atque eadem ratio est versus eiusdem carminis 335., ubi legendum esse ,procedas' totius poëmatis genus et natura cogere videtur.

Sed id agendum est, ut non solum in personis, sed etiam in modis verborum maculae conceptae tollantur. Velut Eutrop. II, 16—19. puto ita legendum esse:

,Ad vivum penetrant flammea, quo funditus humor

Defluat, et vacuis corrupto sanguine venis

Arescat fons ille mali. Truncentur et artus,

Ut liceat reliquis securum degere membris.'

Nam quid fieri in corrupto reipublicae corpore oporteat, docetur; quid peccetur, post exponitur.

Item Laud. Seren. 69. non recte legitur ,daret'; restituendum est ,dedit', quum quid factum sit demonstretur. Illam vocem prava librarioram opinatio quum retulisset ad ,vinceret', referenda erat ad ,fuit'.

Atque eius mendi consimile invenitur LV. Cos. Hon. 634. Nam posteaquam Claudianus exposuit Honorii primum consulis auspiciis transmittentes Danubium Guthrungos repressos esse, eiusdemque secundo consulatu Arbogastem perisse, non

potuit imperatori laudem impertitam attenuare et quasi in dubium vocare de eisdem rebus in sententiae exitu ita timide affirmans:

, Tibi de beat orbis

Fata Guthrungorum debellatumque tyrannum',
verum et loci et universi carminis ratio postulare videtur, debuit'.

Fingit Claudianus Epithal. Hon. 70. in hortis Veneris secundum amoris naturam duo fontes:

hic dulcis, amarus

Alter, et infusis corruptum mella venenis.

Haec legi in scriptis melioribus Heinsius testatur. Nam quod e paucis arripuit Burmannus, corruptum', id quidem emendatoris manum prae se fert quid sententia flagitaret, non quid libri indicarent quidve poëta scripsisset spectantis. Nam eum pro certo habemus posuisse, corruptus'. Hic locus monere videtur, ut paucis explicem de participiis vitiatis. Itaque Rapt. Pros. II, 131. puto scribendum esse, moerentem', non, moerens'; Eutrop. II, 335. vestis adornandae', non, adornatae', similiterque Bell. Get. 462. pro, salutatis signis', salutandis', id quod Heinsio olim placuisse video; denique VI. Cos. Hon. 356. non, responsa morandi', quod quomodo dicatur non satis intelligo (neque enim possunt esse eius qui cunctatur vel cunctari se malle simulat), sed, morantis', cui conjecturae eiusdem carminis versu 386. auctoritas quaedam adiungitur. Verum nonnulli praeterea sunt eiusdem generis versus, quos quum minus proclive sit emendare uberior tractabimus.

Itaque IV. Cos. Hon. 160. de Honorio infante leguntur haec:

Uberibus sanctis immortalique dearum

Crescis adoratus gremio.

, Adoratus' si minus nimis amplum Honorio, at certe indignum dearum tantarum numine fuerit. Hic veri investigandi viam praeire videtur omnium librorum longe optimus praebens, odoratus'. Nam quum Claudianus non raro ludat in rerum hominumque nominibus (cuius rei exempla habeo haec: III. Cos. Hon. 99. Eutrop. I, 274. II, 379. 440. Bell. Get. 547. cl. 555.), designans Honori nomen scripsisse videtur

, Crescis honoratus gremio.'

Adlato instantium nuptiarum rumore Venus Mediolanum versus a Cyprio recessu Tritone insidens per mare contendit, prosequuntur euntem Nereides sponsae dona ferentes. Ibi (Epithal. Hon. 159—161.) haec leguntur:

Nec non et variis vectae Nereides ibant
160. Auditō rumore feris. Hanc pisce volutam
Sublevat Oceani monstrum Tartessia tigris.
, Pisce volutam' quid esset ex omnibus editoribus unus timide et diffidenter ausus
est conjicere Burmannus. , Volutam, inquit, explicarem delapsam a pisce, quo
ante vehebatur, sublevat tigris.' Verum id quidem summae temeritatis duco, prae-
sertim in puella, sine causa relicto pisce consueto, quo veheretur, tanto monstro se
committere. Imo vero iure a poëta videmur postulare, ut quanam re adductae
tenerae virgines non invitae illud ausae sint timore abiecta explicetur. Itaque
sicut phoenicem voluntaria morte vitam reparaturum Phœbus , volentem vitali
fulgore ferit' (Idyll. I, 56.), putarim scriptum fuisse triste volentem, unde
cognosceretur quanto ornanda et colenda Mariae studio vel deae certaverint, quae
ne magna quidem pericula recusaverint subire. Atque illa pericula proxima voce
'monstrum' indicata denuo legentium animis proponuntur ea, quam restituimus.
Honorii gentem persequens Claudianus descendit ad Theodosii maioris Africæ
comitis memoriam, cuius ita virtutem celebrat (IV. Cos. Hon. 24.):
Hinc processit avus: cui post Arctoa frementi
Classica Massylas annexuit Africa lauros.
Fremere cur dicatur Theodosius, id haud facile quisquam expediverit: nec multum
in illius viri moribus describendis versatur Claudianus. Contra amplas eius res
bello gestas meritis laudibus plus uno loco effert. Et fuit, quum inesse in illa voce
putaremus gentis alicuius nomen, vel ,Britanni' vel ,Brigantis': sed quum haec in
universum dici ex proxima sententia cognoscerem, desiderari mihi aliquid videbatur,
quo magna fuisse bella magnumque inde gloriae fructum ad Theodosium redundasse
praedicaretur. Nam classica idem Claudiano sunt atque bella: quippe qui non
dubitaverit haec ponere ,post victoria classica' (Laud. Seren. 218.) et ,lectum
referens in classica robur' (Bell. Get. 313.), denique sibi consentiens ,num classica
Francis intulimus?' (Cos. Stil. I, 189.). Itaque haud scio an scriptum olim fuerit
, cui post Arctoa merenti' —
cuius vocis syllabae ubi semel misceri et turbari cooptae sunt, facile fieri potuit, ut
latius error manaret.
Denique eiusdem generis locus est, qui legitur Rufin. II, 272. Milites Arcadii
a Stilicone invito remissi discidium carissimi ducis graviter ferunt timentque, ne a
Rufino turpissima quaeque subire cogantur. Quem metum ita consolantur (v. 272. 273.):
, Quamquam non adeo robur defecerit omne
Tantave gestandi fuerit penuria ferri.'

Atque ex his versibus alterum qui intelligere sibi visi sunt, ita videntur interpretari, quasi milites usu armorum freti se Rufini iniurias propulsaturos sperent. In quo primum monendum est ea lege nihil dici, nisi quod e versu 272. colligatur. Sed nego eam sententiam effici ex illis, penuria gestandi ferri', nego ullam omnino erni, quoniam ita inscitia armorum tractandorum significari non potuit. Sed quum proxima persuadeant etiam in hisce contineri fidae mentis testimonium et rerum communiter cum Stilicone gestarum commemorationem, quam rem Lucan. IV, 408. ita in re simili expressit, servataque ferro militiae pietas', optimum librum ,gestati' praebentem secutus emendo.

Tantave gestati fuerint periuria ferri.'
Gestatum Stilicone duce ferrum meminit miles, cuius se vel absentis imperio obtemperatum esse declarat. Ceterum illa ,defeceris' ,fuerint' verecunde affirmantis esse propter Gesnerum moneo.

Verum de hoc universo loco quamquam plura disputari possunt, contendimus ad alios versus graviore labore affectos. Bellona Martis iussu Tarbigilum Gothorum in Asia regulum ad bellum Arcadio inferendum induta uxoris specie excitat. Quaerit enim e marito, quaenam ab imperatore redux dona quosve honores tulisset. Ille ubi accusata principis illiberalitate, Eutropii superbia nihil se accepisse respondit, uxor barbara avaritiae plena (Eutrop. II, 193.)

Continuo secat ungue genas, et tempore pandit
Arrepto gemitus.
Ea, si editores audias, recte sese habent. Nam ,tempore arrepto, inquit Gesnerus, plus est quam capto; notat celeritatem consilii.' At eis verbis si nulla alia sententia subjicitur nisi quae continetur voce ,continuo', facile inanibus sonis caremus. Verum eadem illa Vergilius quum poneret Aeneid. XI, 459., longe aliam rem spectavisse recte Servius monet: neque Claudianum, qui ex veteribus neminem tam sedulo imitatur quam Vergilium, si ab illo verba transtulisset, de sententia quidquam immutatum fuisse puto. Itaque ne quid languidi aut insoliti poëtae affingamus, reputantes iam nunc requiri, quam ob rem uxor in tantum luctum incidisse videatur, utrum ob Eutropii fastum an propter elusam donorum spem, scribendum putamus ,fenore erepto'. Fenus in quovis lucri genere dici satis constat.

In laudibus Stiliconis dicitur, quod illius auctoritate commoti Theodosio mortuo barbari in fide manserunt nec quisquam res novas molitus est. Tum haec sequuntur Cos. Stil. I, 151.:

Nil inter geminas acies, ceu libera frenis

Ausa manus certe.

Haec quo referenda sint ex proximis liquido patet. Accedit, quod quae hic leguntur inde a v. 151—161., eadem uberioris explicantur Rufin. II, 151. sq. (cf. III. Cos. Hon. 68—72. Bell. Gild. 294—301.). Etenim Theodosius quum paucis mensibus post superatum Arbogastem diem supremum obisset, Stilico coniunctas copias et vicires et vietas citato agmine in Orientis partes rapuit, ut Getarum excursionibus finem faceret. Atque ibi v. 117—119. illud maxime poëta miratur, quod Stiliconis amore incensi milites iras mutuas nondum restinctas represserunt: eiusque sententiae similem hic quoque videtur proposuisse. Nam quae nunc leguntur, ea quidem nihil sunt. Quid enim, ut quid significet hoc loco ,manus' plane omittam, istuc est ,manus, ceu libera frenis, nihil ausa est? Quasi frenari manus possint! Nec bene coniunctae utriusque imperii copiae, quas illic recte designaverat appellans ,utraque castra' 104., agmina, fraternalis hastas' 162., hic nominantur ,geminæ acies,' nisi quis facete dici putet; at illa ,geminæ manus' commode et perspicue composita videntur. Ita autem necesse est ex voce ,acies' eruamus eam rem, cui conveniat frenorum image, quae Stiliconis auctoritate ita perdomita videatur, ut copiarum concordiam turbare non posset: scribemusque rabies: nihil, inquit, inter geminas manus quamvis mortuo Theodosio rabies, ceu libera frenis, ausa est. Sed quid faciemus extremae voculae? Quae sive cum superioribus, sive cum posterioribus connectitur, languet neque quidquam aut novi aut venusti adjicit sententiae. Nam paullo post ad novam rem poëtae animus traducitur: in summa dissimilitudine militum e diversis terris accitorum tamen disciplinam militarem servatam esse exponit; sed ita ut illud v. demum 164. Stiliconis virtuti assignari compareat. Itaque ne in carmine Stiliconis laudibus dicato incognitum lateat, quod illius opera effectum est, ita scribemus: ,Nil inter geminas rabies, ceu libera frenis,
Ausa manus per te.'

Eademque ratione non dubitabimus alium quendam versum emendare. Nam Cos. Stil. III, 126. quod scriptum exstat ,exsulat arvis' sententiam plane pervertit: quoniam id in Stiliconis beneficiis numeratur, quod imperii sedem olim Constantinopolim translatam iterum, ut par erat, urbi Romae restituit. Itaque legendum est sic:

,Per quem fracta diu translataque paene potestas
Non oblita sui servilibus exul ab arvis
In proprium sed dueta larem viciacia reddit
Fata solo.'

Contra Bell. Get. 90. quae coniunctim adversante sententia leguntur, ea facili emendatione, sicut res postulat, discerpemus. Etenim quum illa ,ignoscere — precantem' in

universum disputentur nec ullo pacto cum superioribus cohaereant, ita sententias perturbatas separabimus:

Hoc quoque, quod veniam leti valuere mereri,
Sepositis pendas odiis. Ignoscere pulchrum
Iam misero, poenaeque genus vidisse precentem.

Legebatur, si positis pendas odiis?

Claudianus Honorio sextum consulatum gratulaturus haec habet VI. Cos. Hon. 8—10.:

Indigenas habitus nativa Palatia sumunt; Et patriis plebem castris sociante Quirino
10. Mars augusta sui renovat suffragia campi.

Haec ad comitia consularia referri appetit; quae utrum poëtarum more vetustatis exemplum recordatus Claudianus fixerit an factam rem descripscerit quaerere nunc quidem nihil attinet: sed plura florentis reipublicae instituta Stilico retulisse videtur. Itaque, patriis castris' ita fere interpretari video editores, ut suffragia tulisse una cum militibus plebs existimetur. Verum nusquam, quod sciam, Claudianus plebem usurpavit in universo populo designando: quod quamvis hoc loco feramus, tamen haerebimus necessario in voce, 'patriis'. Quodsi tantopere laborat scriptor, ne qua populi pars omittatur — nam omnes undique convolavisse ad suffragia ferenda indicat ille Quirinus —, cur praetermisit partem omnium vel principem, senatum? Idque eo magis miramur, quod, ubi res postulat, ille cum plebe fere coniungitur: Epithal. Hon. 199. plebes — proceres; Cos. Stil. I, 55. proceres — plebs; Cos. Stil. III, 1. populi — procérum; 50. patricius — plebeius; 116. arbitrium plebis patrumque; 191. Mavortia plebes; 202. procerum voces; Bell. Gild. 53. plebs — senatus; VI. Cos. Hon. 60. plebs — patricias domus; 332. cum plebe patres; Eutrop. II, 64. plebe senatus permista; 137. o patribus plebes, o digni consule patres. Itaque ne quam partem sinamus omitti, quae necessario desideratur, neve comprehendantur, quae non recte videntur inter se opponi, ita emendabimus:

Et patribus plebem sanctis sociante Quirino?
Sanctum coetum dixit senatum Cos. Stil. II, 299.

Eutrop. I, 155: Evectus thalamis summos invasit honores.

Eutropium in regiam domum inrepsisse et primo infima servitutis condicione fuisse paullo ante expositum erat (145. sq.) Cui sententiae minus convenit, quod ab imis thalamis ad summos honores ascendisse narratur: quasi in eadem regia imi, medii,

summi fuerint. Et quod summos honores invasisse dicitur, id facile quispiam adducatur ut ad consulatum delatum referat: quod perspicue falsum est. Nam quamquam Eutropium Abundantio patrono esse usum discimus, tamen non aliorum beneficio, sed suis artibus summum magistratum capessivit non solum Abundantio sed etiam Rufino everso; unde recte ille honor v. demum 284. commémoratur. Sed eum locum priusquam obtineret, pervenisse ad alium non summum illum quidem, sed sane amplum ex Eutrop. I, 192—251. (v. maxime v. 171.) apparet. Fuit enim sacri cubiculi praepositus: idque et Zosimus V, 9. (*ἐπειδὴ καὶ τὴν ἡγεμονίαν πάττον τὸν βασιλικὸν εἶχε κοιτώνων*) confirmat et Claudianus Praef. Eutrop. II, 21. 22. Eutrop. II, 392; denique 553—560. loco ideo insigni, quod quo ordine illi honores sese excepérunt demonstrat. Haec qui reputaverit, multo minus imos illos thalamos feret. Verum enim vero aut magnopere fallor aut scriptum fuit antiquitus ab imo Evectus thalami summos invasit honores.' Ab imo dixit ut Cos. Stil. II, 34. in alto; Epithal. Pall. 83. ad altum; Bell. Get. 97. in arcto; 491. in arctum.

Qualibus artibus Mallius Theodorus amplissimis magistratibus perfunctus vacaverit, inde a versu 61. describitur. Sed satius erit totum locum non uno ulcere laborantem proponere (63—69.):
*Ingenii redeunt fructus aliisque labores:
 Et vitae pars nulla perit. Quodcumque recedit
 Litibus, incumbit studiis, animusque vicissimq[ue] custodiens silentibus
 Aut curam apponit populis aut otia Musis.
 Omnia Cecropiae relegs secreta senectae
 Discutiens quid quisque novum mandaverit aevo,
 Quantaque diversae producant agmina sectae.'*

Eius partem alteram ad philosophiae studia referri quum per se pateat, efficitur praeterea versibus subsequentibus. Sed miror, quoniam tandem pacto illa studia Cecropiae vetustatis secreta possint nominari. Nam illud maxime Graecorum literae differunt ab Aegyptiorum sapientia, quod haec paucis secreto tradita est, illae in communi luce et oculis omnium semper sunt versatae. Itaque vix dubito quin Claudianus scripsit decreta, vocem in philosophiae placitis designandas frequentem. Sed haec levia sunt; multo magis implicati haeremus in ultimo versu. Quem quod ita interpretabatur Barthius, quasi uniuscuiusque sectae ille numerum inisset, indignum sane et poëta est qui magis sciret quid esset laudare, quid simulata assensione irridere, et ipso Mallio. Imo cum quae sequuntur tum ,diversae', cui

voci Claudianus eundem plane significatum subiecit atque ipse Cicero, docent non quot hominibus unaquaeque disciplina esset stipata, sed quibus potissimum sententiis niteretur et quid differret a ceteris Mallium quaesivisse: dignum sane tanto viro negotium. Atque id ipsum Claudianum faciemus dicentem, si cogitaverimus de literarum perturbatione facta, qua perperam effectum est, producant agmina ex hisce, prodant certamina'. Haec vox commendari videtur duobus eiusdem versus vocabulis, quanta' et , diversae', quae eadem obstant quominus acquiescamus in Burmanni Barthii commenta reiicientis coniectura, dogmata'.

Sed idem Barthius vereor ne poëtae laudi tribuerit quod librariorum potius socordiae assignandum est. Miretur sane Claudiari artem in illis, aliique labores' conspicuum: quae acute dicta putat, nos tam inania et iciuna iudicamus, ut olim fuisse in libris pro certo habeamus , altique'. Quod sicut ne a Cicerone quidem plane alienum fuit, ita Quintilianum et Plinium minorem refert: etenim illi quum non dubitaverint ponere , altiora studia' , altiores artes' , altiores disciplinae', quidni Claudiano licuerit eodem modo eandem rem significare?

Atque ad eandem causam illud revoco, quod legitur Rapt. Pros. I, 142: Trinacria quondam Italiae pars una fuit.

Nam quamdiu Sicilia populi Romani fuit, cuivis poëtae, illius praesertim aetatis, licebat dicere insulam Italiae partem esse. Verum quum longe alia esset Claudiari mens, quippe qui multorum veterum sententiam recordatus Siciliam olim cum ipsa Italia coniunctam fuisse et connexam putaret, scripsisse mihi videtur , Italiae pars vera fuit: nisi quis malit , im'a' ad librorum memoriam propius accedens, quod priorem Gesnerum invenisse post cognovi. Eodemque in genere est quod legitur Eutrop. II, 56.: , cui, cuncta licet responsa iuberent.'

Scribendum puto , certa' (v. carm. 76, 2). Oraculorum quae tunc fuerit universa condicio conjicias ex II. Cos. Hon. 118. IV. Cos. Hon. 144 sq.

Ceterum illius mendi, quod supra et aperuisse videmur et sustulisse, simile investigabimus Bell. Get. 174.

Ex illo, quounque vagos impegit Erinys, Grandinis aut morbi ritu per devia rerum,

175. Praecipites per clausa ruunt. Ceres raptam filiam conquisitura recte profitetur se de via rerum i. e. abditas pelagi terrarumque latebras peragraturam esse, si qua forte raptoris vestigia deprehendere possit: Rapt. Pros. III, 115; illisque convenienter Pompeius Deiotarum ad remotis-

simas Asiae gentes clam legans regem , iubet ire in devia mundi' (Lucan. VIII, 209.). At idem in Getarum expeditionibus describendis Claudianus nec potuit dicere nec voluit. Sed exempla illustrandae rei causa allata demonstrant idem in Getis saepe usu venisse, quod quām Arbogastem armis Theodosius peteret, illius virtute, Honorii felicitate effectum poēta vult: III. Cos. Hon. 89—92. Itaque difficilia itinera summa celeritate illi confecerunt, altos montes tanquam apertos campos transgressi sunt, quae loca munita moram afferre proficiscentibus viderentur, ea impetu facto ceperunt. Quae quum ita sint, videtur potius ,dura viarum' scribendum esse quam ,devia rerum'. Dura viarum item in rebus perieulosissimis numerantur IV. Cos. Hon. 435. Ceterum quod dixit ,dura, clausa viarum', eorum similia multa passim occurunt apud Claudianum (v. imprimis Epist. III, 8. Idyll. VI, 94.), multo plura apud Symmachum. Denique id moneo, esse quaedam in Claudiani libris vocabula praeter cetera mendis infesta: quo in numero sunt ,res', ,totus', ,tantus': cuius vitii ut unum exemplum ponam, ejienda est Cos. Mall. Theod. 47. codicibus optimis auctoribus vox ,rerum', restituenda est ,mentis'.

Stil. II, 298—308:

Pellendi denique nulla

Dedecoris sanctum violent oracula coetum,

300. Nec mea funestum versavit curia nomen.

Pars sceleris dubitasse fuit. Quaecunque profana

Pagina de primo venisset limite Phoebi,

Ante fretum deleta mihi, ne turpia castis

Auribus Italiae fatorum exempla nocerent.

305. Publicus ille furor (quantum tua cura peregit!)

Secretum meruit. Laetetur quisquis Eous

Scribere desierit: fastos portenta Gabinos

Ista latent. Propriam labem tersisse laborent.

Haec sicut nunc leguntur plures habent scrupulos, in quibus offendas. Roma dea collaudat Stiliconem, quod quum ipsa privatorum rumores de Eutropio consule facto ab Italia averterit, ille publicas literas de eadem re ex Orientis regionibus missas ne admiserit quidem: nam ita profana pagina et oracula inter se opponuntur, ut de nuncio ab Arcadio, non ab Honorio misso cogitandum esse appareat. Atque eos nuncios ,oracula pellendi dedecoris' dici potuisse nego: quae quum diri ominis rem afferrent alterutri imperio (291—293.) tristes casus praesagientem, erat sane, quod immanitate sua terrorent hominum animos. Quare scribendum puto ,pallendi dedecoris.' Verum illas literas si Stilico retulisset ad senatum, tam certa futura

fuit rei gestae fides, ut dubitationi locus non relinqueretur. Itaque non recte sese habent illa, Pars sceleris dubitasse fuit'. Verum si quis tam nefandum facinus admetti potuisse cum indignatione miraretur, is stupore suo indicare poterat rem veram sibi videri atque adeo quamvis turpem ferendam. Quae quum ita sint, lego, Pars sceleris stupuisse fuit': levi mutatione et quae pallendo illi dedecori conveniat. Sed in insequentibus in librorum discrepantia aut 'limite' aut 'limine' habentium optimorum librorum ope desituti cogimur ad indicia confugere. Quumque Cos. Stil. III, 287. commendetur Vaticani primi auctoritate et, cui haud scio an plus tribendum sit, Scaligeri coniectura, primi sub limine coeli idem vocabulum hoc loco revocabimus. At quomodo cavere Roma potuerit, ne turpia fatorum exempla Italiae nocerent, frustra quaesivi. Nam fata quum averti nec divino auxilio nec humano consilio possint, fatorum ludibria futura utrum noveris an ignores nihil interest. At si id spectavit dea, ne quando Italiae similes consules imponerent Honorius et eius successores turpi alterius imperii exemplo sopiti, scribendum erat — id quod scriptum olim fuisse puto — , fastorum exempla': sicut Praef. Eutrop. II, 47. exstitisse puto:

,Vive pudor fastis'

non fatis. Denique quamquam inde ab a. p. Chr. 338. alter consul Romae, alter Constantinopoli designari coepus est, tamen utriusque nomen literis et publicis et privatis praepositum esse satis constat. Hoc declarat perperam legi: ,Laetetur quisquis Eous scribere desierit', fidemque habendam esse uni libro omnium optimo haec exhibenti: ,Laetetur quisquis Eoos': cuius scripturam amplexi necessario distinguemus post ,fastos'. Ceterum Eoos quum iam reposuisset Heinsius, tamen Gesnero non persuasit. Totum locum igitur ad hunc modum refingendum esse putamus:

,Pallendi denique nulla

Dedecoris sanctum violent oracula coetum,

300. Nec mea funestum versavit curia nomen.
Pars sceleris stupuisse fuit. Quaecunque profana
pagina de primo venisset limine Phoebi,
Ante fretum deleta mihi, ne turpia castis
Auribus Italiae fastorum exempla nocerent.
305. Publicus ille furor (quantum tua cura peregit!)
Secretum meruit. Laetetur quisquis Eoos
Scribere desierit fastos: portenta Gabinos
Ista latent.

Pessime accidit, quod optimorum librorum, quos Nicolaus Heinsius et reperit et primus emendandis Claudiani carminibus adhibuit, condicio et species plane ignoratur. Itaque ubi quo ve saeculo confecti sint et quo literarum genere exarati, qui fuerit versuum in unaquaque pagina numerus, et quae sunt cognitu commoda id genus alia frustra quaesiveris, nisi quod Vaticanum primum, cui plurimum tribuit ille, undecimo fere saeculo scriptum esse commemorat (ed. alt. praef. V.). Sed vitorum genere quorundam adducimur, ut aut illos libros ipsos aut eos, unde fluxerunt, existimemus scripturae compendiis insignes fuisse. Atque ita rem sese habuisse probabimus propositis quibusdam versibus, qui alia ratione vix videntur expediri posse.

Itaque Eutrop. II, 370. in describendis moribus eorum ducum, qui belli gerendi pertaes ad concilium convocantur, instituitur haec comparatio (370—375.):

370. Qualis pauperibus nutrix invisa puellis
Assidet et tela communem quaerere victimam
Rauca monet. Festis illae lusisse diebus
Orant et positis aquaevas visere pensis,
Irataeque operi iam lasso pollice fila

375. Turbant et teneros detergunt stamine fletus.
Ea sicut nunc leguntur scripsisse poëtam equidem negaverim. Quid enim pauperibus puellis cum nutrice? Verum obstat alia res multo gravior. Sicut enim ex vitae quotidianae consuetudine et scena et sermo certas quasdam partes tribuerunt patruo et nepoti, ita nutrices blandae, faciles, carae alumnis, secretorum participes et fuerunt fere et habitae sunt, neque aliter Claudianum sensisse satis ipse docet VI. Cos. Hon. 566. Rapt. Pros. III, 171—176. Itaque eandem si diceret invisam puellis et severam, et a vero abhorret et sibi ipse repugnaret. At hoc loco, sicut I, 275., custodem operum designari nemo non videt. Sed scriptores aetate inferiores saepe si qui vel pueris vel puellis vel denique servis essent appositi, nuncupaverunt monitores. Quid igitur? Eumne qui paucos quosdam poëtas secutus scripsit, populatrices catervae' Rapt. Pros. III, 167, suo ingenio confisus finxit, mandatricem operum' prospectricem' laborumque (IV. Cos. Hon. 236.), idem ausum esse negabimus in monitoris vocabulo deflectendo, quo usus est Bell. Get. 307? Restituemus igitur poëtae non sine quadam probabilitate inventam a se vocem scribentes

, Qualis pauperibus monitrix invisa puellis' cui offecisse praeter novitatem etiam scribendi compendium videtur.

Claudianus Stiliconem suum post Alaricum vietum ita honoribus mactat, ut M'. Curium maiorem reliquis fuisse, Stiliconem praestantiorem vel Curio habendum esse demonstret. De quo viro egregio dicens haec subnectit (Bell. Get. 129—132.):

Et quamvis gemina fessum iam elade fugarit

130. Post Decii lituos et nulli pervia culpae

Pectora Fabricii donis invicta vel armis,

Plena datur Curio pulsi victoria Pyrrhi.

Quae ita debent legentium animos offendere, ut quid primum mirentur, quid postremum vix habeant. Nam quis plenam victoriam unquam dixit — quasi immunita et manca informari ita possit! Victoriam pulsi Pyrrhi equis ferat in ornatissimo poëta? Denique recte Livius et qui illum secuti sunt omnium rerum arbitrium deis ita tribuerunt, ut victoriam illos dare ducibus recte dicerent. Itaque illum auctorem imitatus ad hunc modum possit quispiam conformare sententiam: ,dederunt aliquando Curio dei victoriam.' Sed qui ista ferunt, Claudianum ita loquentem faciunt, quasi illius demum aetate utrum Pyrrhus an Curius fuerit superior, disceptari coeptum sit. Sed molestum est mendum per se manifestum in illo versu convincere. Poëta quid et potuerit dicere et debuerit (nec hoc loco sententiam ad rerum fidem exigere attinet) in promptu est: quamvis, inquit, Decius et Fabricius Pyrrhi vires infregerint, tamen omnium consensu belli confecti laus ita ad Curium defertur, quasi illorum virorum opera nihil plane effectum sit: neque eorum meritis Curii gloria imminuitur. Eamque sententiam facile reducemos scribentes ,perculsi gloria Pyrrhi.' Haec si ita exarata fuerunt, ut participii prima syllaba compendio exprimeretur, eo facilius potuit converti in ,pulsi', quo haec ipsa vox commendari videretur v. 125. Atque id mendum ubi semel irrepsit, consulendum erat necessario numeris inducta voce ,victoria' pro ,gloria'.

Sed idem vocabulum quod hic merito videmur restituuisse, etiam altero loco revocabimus. Etenim paucis versibus intermissis leguntur haec (Bell. Get. 147—150.):

Et prope ter senas Itali per graminis herbas

Massylus Poeno sonipes vastante cucurrit,

Hannibalemque senem vix ad sua reppulit arva

150. Vindex sera patrum post bellum nata iuventus.

Iuentutem post bellum natam certamini finem fecisse numquis sibi persua debit Claudianum edidisse? Neque enim audiendus est Gesnerus, qui milites post pri-
mum bellum Punicum procreatos intelligi putans totius sententiae vim et acumen
pervertit neque quidquam miri et insoliti in illa re reliquit. Laudat enim poëta
Stilicōnem propter bellum summa celeritate confectum, quum Pyrrhus dimicando
totum lustrum implevisset, Hannibal vero duodeviginti fere annos in Italia versatus
ab eis ipsis, qui per illud bellum subnati essent, potuisset superari. Quantam enim
de belli alicuius spatio coniecturam fieri posse putamus, quum iuentus patres in

certaminis principio victos re bene gesta ulciscitur! Itaque, ne quid vel nimium vel infacete dictum conferri in Claudianum sinamus, corruptam sententiam ita refingemus: ,per bellum nata iuventus.'

Contra quod legitur Cos. Mall. Theod. 333:

,Consul per populos'

id vero tam languidum est, ut praesertim in clausula carminis summam breviter comprehendente tolerari nequeat. At quae exstant Cos. Stil. II, 223, comprobare videntur a poëtae manu fuisse ,consul spes populis.' ,Spes populis' dixit sicut IV. Cos. Hon. 642. ,gaudia mundo': Praef. Eutrop. II, 47. ,pudor fastis'; Bell. Get. 339. ,Boreae Martique sodales': quamquam Gyraldini libri lectionem ,Martisque' placuisse video Bentleio (ad Horat. Carmm. I, 25, 19.).

Cos. Stil. II, 131. Stiliconem a voluptatibus semper abhorruisse demonstratur. Quam sententiam ut poëticis luminibus distinctam exhiberet, induxit poëta Luxuriem, eiusque naturam adumbrans posuit haec (135—137.):

135. Blanda quidem vultus, sed qua non tetrius ulla

Ultrices fucata genas et amicta dolosis

Illecebris torvos auro circumlimit hydros.

Eundem locum olim tractatum quum temporis angustiis exclusus inchoavissem potius quam absolvisssem, denuo aggredior. In primo v. 136. vocabulo multum libri variant, quorum pars habet ,ulterius', pars ,interius'; sed codices omnium et optimi et vetustissimi ,ultrices': unde illa fluxisse appetet. Hanc vocem quum Claudianus saepius usurpaverit, immutato et insolito significatu nunquam, illi libri non tam ipsum verum, quam inveniendi veri viam indicasse videntur. Nam quo pacto Luxuria aut ipsa ultrix possit dici aut adeo ultrices genas tribui ei defendatur velim doceri. Verum luxuriem hominum animos venusta specie decipere recte existimat. Jam quum Claudiani sit proprium, ut id ipsum, in quo sententiae quasi cardo vertitur, mutatis varie verbis amplificatum legentium animis inculcat (v. Rapt. Pros. II, 333. 334. Bell. Get. 366. 367. et id genus alia permulta), in illa voce latere aliquid arbitror eiusmodi, quod conveniat illis ,fucata', ,amicta illecebris', ,auro circumlimit'. Itaque puto illum scripsisse artifex genas passivo significatu, qui est rarius. Quae vox ut vitio locum daret fieri potuit cum propter hanc ipsam causam, fortasse etiam propter scripturae compendium, denique propter versus initium, in quo est constituta: quae ,vitiorum quasi quaedam sedes est'. Ceterum eam cum fucandi verbo optime congruere non est, quod pluribus persequar.

Sed huius loci universi ratione necessario deducimur ad depravata pronomina et relativa et interrogativa, quorum e compendiis multa vitia librorum fluxisse satis

constat. Eidemque erroris generi Claudiani codices obnoxios esse declarant ea, quae Heinsius exposuit ad IV. Cos. Hon. 425. 515. Eutrop. I, 401. Cos. Stil. III, 266. Quamquam idem mendum alibi intentatum et tutum resedit. Itaque quo plus roboris accedat orationi, emendamus Eutrop. II, 144. ita:

Quam dudum inflare moraris

145. Tartaream, Bellona, tubam?

ubi, quid' subsequence eadem vocula commendari immerito videbatur. Sed multo magis persuadent eodem modo peccatum esse haec (Epithal. Pall. 51.):

Quae pompa thoro tam clara resultet,

Quae nova dotetur virgo, patriamque genusque

Pande, quibus terris orti, quo semine ducti.

Ibi, orti ducti demonstrant sponsi mentionem desiderari: camque restituemus scribentes, Cui nova dotetur virgo: atque idem illud suboluisse videtur ei, qui Vat. pr. ita immutavit, Cui pompa thoro tam clara resultet'. Ceterum eiusdem libri memoria adducimur ut non 'thoro', sed 'choro' scribendum esse putemus. Jam igitur haec erit loci genuina et vera species:

Quae pompa choro tam clara resultet,

Cui nova dotetur virgo e. q. s.

Sed liceat his adiungere locum non plane eiusdem generis, sed tamen similem.

Etenim Epithal. Hon. 52. in amoenissimo Veneris secessu describendo haec ponit Claudianus:

Hunc neque canentes audent vestire pruinæ;

Hunc venti pulsare timent.

Ibi quamquam in ipsa sententia nihil plane offendit, tamen quum illud 'neque' simili voce, vel 'et' vel 'neque', non excipiatur, id quod Claudianum nunquam admississe video, vitium subesse suspicor. Accedit, quod pro inseguente vocabulo 'canentes' in libro omnium optimo exstabat 'caedentes' signo apposito, quo veterem lectionem aut erasam aut adulteratam esse fere indicaretur. Itaque quum cavendum sit, ne Claudianus minus concinme et aequabiliter videatur quid scripsisse, donec melius sit inventum, optimi libri memoriam secutus perstabo in hac emendatione, 'nunquam algentes'. 'Algentes pruinæ' ante Claudianum dixit Stat. Theb. III, 469.

In investigandis carminum vitiis si quis quaerat, quo ex fonte orta primum ad singula vocabula, deinde ad plures voces totosque versus labis contagio permanarit, duplex vitiorum causa compareret. Nam plurimis locis et Heinsius (v. p. 250^b. 313^a. 336^a. 471^a. 522^a. 661^a.) et Burmannus testantur librorum prope omnium marginibus explanationes adscriptas fuisse multas multorum hominum, qui enarran-

dis carminibus operam darent. Ea interpretamenta, non doctissima neque ad intelligendum poëtam utilissima, ne ab antiquis quidem libris absunt. Itaque in Lucensi altero ad III. Cos. Hon. 66. haec adjiciuntur: ,exsul i. e. Eugenius et Arbogastes'; quamquam, quia de Eugenio paullo post nec ullo præterea loco cum contemptu mentio fit, solum designari Arbogastem apparet: ita ut quac commemorantur Bell. Get. 284. VI. Cos. Hon. 398. non ad Eugenium cum Arbogaste, sed ad Arbogastem cum Maximo referri pateat. Declarant, quae Cos. Prob. Ol. 108. IV. Cos. Hon. 72. Cos. Stil. I, 316. Eutrop. I, 313: leguntur. Sed haec quasi præteriens monui, ut quantum momenti esset in illis additamentis ad percipiendam poëtae mentem intelligeretur: nam ad depravandum fuisse multum pro certo habeo. Etenim paullatim illa ex margine in ipsos versus carminum irrepsisse et genuinae scripturae librariorum vel socordia vel pravo iudicio offecisse non sane improbabile est, eiusque vitii exemplum proposuimus supra p. 5. Sed alterum genus fraudis non est fortuitum, sed hominum consilio quodam grassantium, qui Claudiani ingenio excitati in eodem argumento quid ipsi valerent ornando et amplificando periclitati sunt. Itaque Rapt. Pros. II, v. 337. Heinsius necessario eicit: atque idem ille lusus recurrit Cos. Stil. I, 73: qui versus tantum abest, ut sententiam aut pleniorum reddat aut rotundiorem, ut ex proximis duobus plures res mira arte complectentibus pravo artificio consarcinatus esse demonstretur. Et facile adducor eadem causa, ut item delendum censem v. Ruf. I, 153. additum a nescio quo, quem Caucasus et Scythia commemorata invitarent ad doctrinam promendam, sed qui non intelligeret, quam male ista exempla afferre conveniret Furiarum naturae, quam cum sententiae summa non cohaererent. Denique post res, quae Honorii auspiciis gestae dicuntur, uberius expositas IV. Cos. Hon. 623—635. et concludendi argumenti causa breviter ibidem comprehensas si qui eandem sententiam spatio nullo interposito repeti vv. 636. 637. tertiumque legentibus aequo animo ferant proponi, ne illi viderint quam acerbum inopiae et ieunitatis crimen in tantum poëtam inscientes conferant. Sed Nicolaus Heinsius quum in libro omnium optimo hos versus inveniret in unum conflatos et coartatos ita:

Ister sanguineos egit te consule montes,
alterum spurium existimavit. At eandem amborum versuum condicionem esse quum pateat, id unum restat ut quaeratur, utrum ejiciendi ambo videantur an retinendi. In quo nos id sequimur, quod et poëta dignum est et ad ornatum sententiae decorum. — Verum etiam illud fieri potuit, ut verba explicandae sententiae causa margini adscripta numeris aliquis adstringeret aut suum se auctori restituere arbitratus aut sui ingenii periculum facere cupiens: oriturque tertium vitii genus ex illis duobus.

mixtum. Haec monenda nobis erant, ut quaestionis instituendae viam praemuniremus.

Atque belli Gildonici calamitate in extremos casus deducta Roma apud Jovem et annonae difficultatem et instantem famem conqueritur. Nam posteaquam Arcadio Aegyptus obvenit (Bell. Gild. 62.).

, spes unica nobis

Restabat Libye, quae vix aegreque fovebat,

Solo ducta Noto, nunquam secura futuri,

65. Semper inops ventique fidem poscebat et anni.'

Ibi vereor, ne existat qui miretur, quod enunciatum et relativum et demonstrativum quod sequitur v. 66. non refertur ad id vocabulum, quod et proximum est et sententiae caput, sed ad remotius et cuius levius pondus est. Nec plane negaverim loqui etiam alios ita: ,spes homines foyet': quamquam multo frequentius homines spem fovent. Sed magis offendio in illis ,vix aegreque': quae, quod sciam, in oratione solita nemo eorum coniunxit, quorum exemplum et admirari et imitari solemus: nedum poëta in graviore argumento admiserit. Usurpavit Plautus sermonis quotidiani aemulus: quem qui Claudianum non in sublimi illo quidem dicendi genere elaborantem, sed medium et temperatum sequi potuisse putant, de hominis iudicio et elegantia iniquius sentire videntur. Sed fac fieri potuisse, ut tale quid Claudianus minus accurate cogitateque scriberet: tamen illo modo tenuem et lubricam spem non optime describi in aperto est. At quem haec ut futilia non movent, is doceat, quanam de causa illa ,fovebat' ,poscebat' poëta ut par erat connectere noluerit. Verum vocularum, quibus oratio coniungi solet, defectus non minus quam inepta redundantia vitium subesse plerunque probat. Velut quae nunc Heinsio auctore leguntur Rapt. Pros. III, 214. ,patriisque procul mandaverit astris' in eis illud ,que' repugnante sententia adiectum est propter amissam verbi genuinam formam, ut versui subveniretur. Quod simulatque restituerimus amplexi scripturam Vatic. Livineji ,amandaverit' et illo additamento facile supersedebimus et reliquis doctorum hominum inventis. Eademque causa est v. Ruf. I, 97, quem Heinsius, ne suo Vaticano videretur diffidere, ita scripsit:

,Meque etiam tradente dolos artemque nocendi'
quamvis illud ,etiam' orationis nervos elideret. At quae habet liber longe optimus
Me tradente dolos gestus artemque nocendi'
ea et erroris sedem et languidae illius vocis originem declarant. Etenim obscuro
vocabulo omisso versus ratio hanc postulare, sententia non repudiare videbatur.

Nos autem timide assentiente Heinsio ex illis vestigiis eliciemus eandem vocem,
quam Sil. Ital. VII, 744. coniunxit cum ,dolis', scribemusque
, Me tradente dolos, astus artemque nocendi'.

Sed ut eo sese oratio unde digressa est reflectat, aegre mihi persuadeo illum
versum, qui plus una de causa displicet, ad sententiae summam plane nullius est
momenti, a Claudio esse confectum. Sed haud scio an quispiam, cum legeret haec:
, Spes unica nobis

Solo ducta Noto, nunquam secura futuri,
Semper impotens ventique fidem poscebat et anni'
post commemoratam proxime Aegyptum, ut aperiret poëtae mentem, adscriperit:
, Restabat Libye, quae vix aegreque sufficiebat' aut simile quid: idque quum postmodo
videretur ipsius Claudiani esse, numeris adstrictum est illique loco perperam inculca-
tum. Id certe spondeo spuriis hisce verbis electis nec de sententia quidquam minui
nec iam relinqui, quod iure vituperetur.

Pervenimus nunc ad eam vitiorum partem, quae praeter cetera convincere
facile est, corrigerem lubricum et difficile. Nomina enim aut hominum aut locorum
sicut alibi saepe ita apud Cladianum totiens perversa sunt, ut nisi optimi libri
succurrant, de certo remedio desperandum videatur. Atque illi Bell. Get. 420. in
variis ceterorum codicum commentis recte exhibent ,Chattos'; et ab eisdem indicia
data secutus Epithal. Pall. 74. Heinsius restituit ,Cari'. Sed alibi quum illorum
testimonia desiderarentur, ad conjecturam propter reliquorum subsidiorum infirmitatem
confugiendum erat. Itaque Bell. Get. 18. a Parrhasio inchoatam rem ad finem per-
duxit Heinsius, quum revocaret vocem oblitteratam ,Tmarii'; et bis in hoc genere
optime de Claudio meruit summus vir I. I. Scaliger, cuius ingenio debetur Cos.
Mall. Theod. 201. ,Libyas', Cos. Stil. I, 62. ,Beli'. Porro in describendis Africae
provinciae finibus Gangis fluminis mentionem ineptissime illatam (Bell. Gild. 160.)
primus notavit Gesnerus cogitavitque de Tingi urbe: cui ita adsentimur, ut ne
, Cote' quidem vel ,Calpe' plane ab eo loco alienum ducamus. Nam in id genus
rebus probabilitatem satius est sequi quam certam fidem frustra quaerere. Sed nullum
sane vitium tanti poëtae et arte et doctrina tam indignum est, quam quod obsedit
usque ad Barthii memoriam Bell. Gild. v. 91. ,Syphacem'; quod quum nimis
repugnare et rerum gestarum fidei et poëtae elegantiae intelligeret, reposuit ,Hanni-
balem' non ut par erat editoribus probatus. Sed qui reputaverit quantum a novandi
cupiditate prava in artis legibus abhoruerit Cladianus, quam religiose genuinas
vocabulorum mensuras retinuerit, denique quot vitiis deteriores praesertim libri
foedentur, neque audaciam Barthii ut nimiam incusabit et plura eiusdem generis

menda latere in hisce carminibus non invitus concedet. In quo si quid opitulari poëtae possimus periclitabimur.

Atque Roma Stiliconem vindicem fore sperans dedecoris ab Eutropio fastis illati haec dicit Eutrop. I, 504:

Agnosco fremitum, quo palluit Eurus

505. Quo Gildo Maurique ruit.

Eurum quamquam non negamus ad certam quandam Asiae partem referri posse, sicut ipse Claudianus fecit Stil. II. 417. Idyll. I, 2., tamen miramur in rebus Stiliconis uberrime expositis bella in illis oris gesta non commemorari. Contra Thraca terra quum magni viri laudum testis advocetur (Cos. Stil. I, 133.) et ipse Hebrus (v. 22.), facile adducimur ut recte putemus Burmannum ad Verg. Aeneid. I, 317. hoc loco revocasse pro Euro Hebrum: quamquam eum miror hanc sententiam aut casu aut consulto deseruisse et alia versui remedia infeliciter quaesisse.

Stilico minore apparatu bellum cum Gildone ideo gessisse dicitur. (I, 353.)

335.

, ne territus ille

Te duce, suspecto Martis graviore paratu,

Aut in arenosos aestus zonamque rubentem

Tenderet aut Solis fugiens transiret in ortus,

Missurusque sibi certae solatia mortis

340. Oppida dirueret flammis.'

Mittere sibi solatia' neque quis dixerit ante Claudianum habeo neque convenire videtur arti poëtae a fuso et artificiis alieni. Sed quibus oppidis fugiens Gildo perniciem minitari potuerit, id puto desiderari. Itaque vix dubito quin gentis alicuius nomen in illo participio lateat: ex quo nullo negotio efficiemus omnium facile et potentissimam et bellicosissimam, cuius nomine nonnumquam tota Africa comprehenditur, Massylos': scribemusque Massylumque — oppida. Massyla oppida Gildonis res respiciens commemorat Claudianus VI. Cos. Hon. 377.; Massylum gentes Vergilius Aen. VI, 60.

Commemorata Rufini et avaritia et crudelitate haec cum indignatione ponit Claudianus (Rufin. I, 251.):

Quid tale immanes unquam gessisse feruntur

Vel Sinis Isthmiaca pinu vel rupe profunda

Sciron vel Phalaris tauro vel carcere Sulla?

In his exemplorum dissimilitudinem est profecto quod mireris. Etenim deprompta de fabulis excipit praeter opinionem Sullae memoria. At hoc loco illa recte commemorari, non recte hanc confirmatur vocabulo, feruntur'; quo poëta utitur aut in incertis

rumoribus commemorandis (ut fecit Eutrop. II, 467.) aut in fictis narrationibus (v. ibid. 491.). Accedit quod paullo post seorsum ponuntur Cinna et Spartacus: quibus apte adiungi Sullae nomen poterat. Praeterea exagitatur a multis, Cicerone, Valerio Maximo, Seneca, aliis nefanda Sullae crudelitas in cives nimis saepe exprompta: quid carcere peccaverit ignoratur. Sed emendationis viam ipsa loci ratio et exemplorum propositorum natura indicare videtur. Ac fuit, quum de Cyclopis illius antro cogitarem Homeri carmine nobilitato, ubi Ulixes cum sociis inclusus tenebatur: deinde quum illa obscurius designari viderentur, ad Sirenas delatus scribendum putavi, vel carmine Siren': sed postremo ad literarum quae sequuntur speciem — nam de optimis libris celamur — proxime accedere videbatur, vel gurgite Scylla.'

Potentiae sedatam tranquillitatem convenire, iracundiam et superbiam cadere in inferioris condicionis homines exemplis ita illustratur (Cos. Mall. Theod. 232.):

Lene fluit Nilus, sed cunctis amnibus exstat

Utilior nullas confessus murmure vires.

Aerior ac rapidus tacitas praetermeat ingens

235. Danubius ripas. Eadem clementia sani

Gurgitis immensum diducit in ostia Gangen.

Hoc loco quamvis omnia salva essent, tamen nemo non moveretur inepta illa positivi et comparativi coniunctione. Verum multo magis ipsa sententia gravissimum mendum subesse clamat. Nam quum Nilus propter aquarum placidum lapsum commembreetur, adjiciatur Ganges eadem undarum lenitate nobilis, opponantur torrentes minore aquarum copia, multo maiore impetu delabentes:

, Torrentes immane fremant, lassisque minentur

Pontibus: involvant spumoso vertice silvas,

totaque sententia ita concludatur:

, Pax maiora decet' —

haec, inquam, declarant acris et rapidi fluminis mentionem ipsa sententia removeri: eamque repugnare proximis Burmannus primus vidit. Verum Danubius natura ea est, ut per se ne possit quidem dici rapidus: qui in summa aquarum abundantia — unde recte, undans' Claudio dicitur Rufin. I, 184. — nisi aut hibernis imbris incitatur (Bell. Get. 489.) aut coartatur propinquis montibus et caecis rupibus, sedato et placido cursu, contra quam in Reno fieri constat, fertur. Itaque, tacitus' ad fluvium transferemus scribentes, tacitus': id quod commendare videtur omnium librorum longe optimus, in quo legitur non , ac rapidus' sed , ad rapidas'. Sequitur, ut ex eis, quae in versus initio leguntur, eliciatur quod referatur ad ripas.

Hic vix mihi quidem dubium est, quin totius erroris fons et origo repetenda sit a nomine provinciae aliquins olim nominatae, post obliteratae. Iam quum ea regio requiratur, quae flumine non nascente, sed quasi adulto et corroborato alluatur, excipiaturque necessario Dacia propter magnas fluminis in illis oris vertices, duae restant terrae, Illyricum et Pannonia in media fluminis parte sitae, quas apposite, ut res est, Ausonius illam ipsam describens coniunxit Epigr. 3. 1. 4. 4. 4. Itaque utrum 'Pannoniae' an 'Illyrici ripas' olim exstiterit in libris in medio relinquor: quod vereor ut unquam nisi melioribus libris repertis diiudicari possit. Quamquam illud nomen ad reliquias a libris conservatas multo propius accedere altero putaverim. Ceterum quum non solum uniuersus tractus Danubio propinquus belli tumultu illa aetate infestus fuerit (Rufin. II, 26. Bell. Get. 339. 569.), sed etiam Germania (Cos. Stil. II, 286.), Pannonia (Rufin. II, 45. Cos. Stil. II, 191.), Illyricum (Eutrop. II, 216. Cos. Stil. I, 172.) ascita ea scriptura, quam exstare in libro omnium vetustissimo demonstravimus, restituemus 'trepidas' legemusque

,Pannoniae (Illyrici) trepidas tacitus praetermeat ingens
Danubius ripas.'

Idem Claudianus dixit (VI. Cos. Hon. 443.) 'trepidos Ligurum muros' i. e. bello sollicitos.

Roma dea posteaquam id a Stilicone impetravit, ut consulem se fore proximo anno promitteret, quam suspensis desideriis exspectaturus, quantis gratulationibus amplissimum ducem excepturus populus sit describens petit, ut in urbe magistratum ineat. Ibi leguntur haec (Cos. Stil. II, 400.):

,Spectabunt cupidae matres, spargentur et omnes
Flore viae, superas quum Pythia culmina consul.

Arduus antiqui species Romana senatus.

In illo nomine vix dici potest quantum libri varient medii inter Vaticani primi lectiones aut 'Pythia culmina' aut 'Pincia' proferentis; nam ibi aut eadem recurrent aut leguntur 'Phitia Phicia culmina' aut 'limina'. Nec minus editores in ipsa sententia quae subiecta versibus videatur exploranda desudant. Itaque Barthius referri vult Pythia limina ad Apollinis Palatini templum, quo saepius et Augustus et qui illius exceperunt imperium senatum convocaverint, invenitque suae opinionis sectatorem Burmannum; Gesnero 'triumphalis honoris fastigium' indicari videtur. Quod si ita esset, obscuritatis notam nunquam non prudenter vitatam merito hoc nomine contraheret Claudianus. Denique Heinsius, cui placent 'Pincia culmina', de intrante urbem consule cogitat. Verum Pincium collem a loci sententia abhorrire facile demonstrabimus. Nam Stilico Ravenna profectus Flaminia via, sicut gener (VI. Cos.

Hon. 494 sq.), Tiberim ponte Mulvio transmittit, porta Flaminia in urbem ingreditur: itaque qui illius collis radices vix recte attingere dicatur, multo minus eiusdem culmina' superare potest. Verum quum de Stilicone urbem petente iam ante strictim poëta absolverit, amplectenda potius est eorum sententia, qui in consule senatum adeunte illa dici existimant. Nam quum veteribus religionibus sublatis sollemne illud sacrificium in Capitolio fieri desisset, tamen antiquitatis is mos retinebatur, ut magistratum suscipiens consul de republica ad patres convocatos referret: id quod fecisse Honorium sextum consulem liquet e VI. Cos. Hon. 590. Item senatus Cal. Ian. coacti Symmachus mentionem facit Ep. I, 13. 44. Par. et saepius alibi. At quo id factum sit loco, de eo aliter sentiendum erit. Nam Apollinis templum ab Augusto dedicatum utrum post illud incendium Neronianum integrum manserit neene, ita etiamnum inter doctos viros ambigitur, ut hoc illo verisimilius existimetur. Ego vero non fanum aliquod, sed curiam, propriam et perpetuam senatus sedem, hic designari pro certo habeo: idque ne illos quidem editores fugisset, dummodo subsidia ab ipso poëta commodata adhibere quam prae-termittere maluissent. Nam quae hoc loco dea ut futura divinat et optat, ea rata et effecta describuntur libro tertio. Itaque hic quae (v. 397—399.) exstant de sperato Stiliconis in urbem introitu, eadem exponuntur Cos. Stil. III, 1—13; quae de optatissimo imprimis propter annonam levatam consulis adventu (386—389.), eadem attinguntur Cos. Stil. III, 54. sq. 72. sq.; de Stilicone autem ad senatum adeunte ibidem commemoratur v. 202—215. Haec ideo demonstranda erant, quod postea- quam a vetustis editoribus, deinde a Claverio et Dempstro tres illi libri eidem anno eidemque causae assignati sunt, re in dubium vocata primum in editione Gryphiana a. 1548. Delrio et Barthius eorumque exemplum imitatus Heinsius tertium librum a prioribus separatum ad alterum Stiliconis consulatum transtulerunt: quod quum hic admisit, sprexit suorum librorum fidem, e quibus Lucensis illa carmina recte inscribit ita ,de consulatu Stiliconis'; minus bene Vaticanus primus ,laus Stiliconis, libri numero III'. Haec alibi olim a nobis explicata disputationis ratio postulare videbatur ut repeteremus. Itaque ut eo redeamus, unde aberravit oratio, aurea illa Victoria, quae ipsa Stiliconi senatus templum dicitur aperuisse, sine dubio est eadem, quam cum ara in Curia Iulia Augustus dedicaverat: cuius de ara illis ipsis temporibus Ambrosio suasore eversa, ne Symmachi quidem auctoritate et eloquentia restituta satis inter omnes constat. Sed illa ara quum in controversia versaretur, ipsum simulacrum, quod ad Dionis Cassii memoriam mansisse ipse narrat LI, 20: τὸ ἀγαλμα τὸ τῆς Νίκης τὸ νοι τὸν ὄρ, suo loco inviolatum fuisse videor colligere e Symmachi Ep. X, 61: ,reddatur tamen nomini honor, qui nūmini denegatus est':

ac sunt praeterea documento quum quae hic leguntur, tum quae VI. Cos. Hon. 597—599. Prudent. c. Symm. II, 27. Ceterum non possum non putare v. 203. Claudianum ita edidisse:

cum rutilis exsurgens ardua pennis

Ipsa duci sacras Victoria panderet aedes.

Nam quod in libris legitur totis pennis summi poëtae ingenio indignum videtur. Genuini vocabuli prima syllaba praecedentis voculae litera extrema facile intercipi poterat. Huic versui simillimus est Prudentii is, quem supra commemoravimus.

Ponimus igitur Claudianum, qui Stiliconis consulatum initum celebraret, nihil aliud cogitare potuisse v. II, 401. componentem quam quae III, 202. descripta leguntur. Verum quum vetus illa curia Hostilia Caesaris iussu a. u. 708. sublata fuerit, Julianum verisimile sit Neroniano incendio perisse (quamquam a Beckeri sententia dissentire video Theodorum Mommsen in libello de comitio Rom. p. 19.), cuius certe memoria post illam aetatem plane intercedit (Becker, Handb. d. Röm. Alterth. 346. 355.) mihi quidem dubium non est quin Claudianus curiam significaverit eam quam Domitianum exstruxisse aut eodem loco aut alio certis testimoniosis efficitur. (ibid. 347.). Eaque ipsa sicut nihil causae est quin usque ad Honorii aetatem permansisse videatur, ita eo cum alia ornamenta tum illam Victoriam translatam ecquis etiam Claudiani aetate integrum fuisse pernegaverit? Nam quae de Theodosii curia docti homines commenti sunt, ea quidem suo iure Beckerus refutavit.*). Haec si recte disputavimus, nullo negotio e codicūm testimoniosis et hoc loco et qui est eius geminus Praef. Bell. Get. v. 4, ubi item spectari curiam v. 5. docet, proferentium , Pythia Pincia Phitia Phicia Phacia' eliciemus Flavia recordati eodem vocabulo designari a Martiale plus uno loco aedifica a Domitiano condita, uno, nisi me fallit, a Statio (Silvv. IV, 3. 19.). Porro quum veniens in senatum non recte Stilico dici videatur ,superare culmina', scripsit, opinor, Claudianus hic Verg. Georg. 3, 317. secutus

, superas cum Flavia limina consul'

, Personat et noto Flavia vate domus.'

Verum quid istuc est quod subnectitur ,antiqui species Romana senatus'? Quod tanquam in re plana et perspicua omnes editores silentio praeterierunt. Mihi vero illa obscurissima videntur: quamquam inesse aliquid quod ad senatum referatur

*) Ibid. 353. Ceterum ne Claudianus ,Julia limina' hoc loco scripsisse existimetur, obistare praeterea videntur VI. Cos. Hon. 116. Stat. Silv. I, 1, 29: sed aliter sentit idem Mommsen de comit. Rom. p. 18.

apparet. Cuius ordinis quae fuerint etiam illa aetate partes ineunte anno colligitur ex Cos. Prob. Ol. 231. IV. Cos. Hon. 583. Eutrop. I, 308. Etenim more et exemplo maiorum prosequebatur in publicum primum prodeuntem consulem et magistratus munera auspicantem. Jam tenendum est ita fere consentientes Claudianum et Symmachum illius aetatis felicitatem describere, ut florentis imperii veteris imaginem revocatam esse praedicent. (v. IV. Cos. Hon. 505. Cos. Stil. III, 106. 107. 124.). Nec suavius senatui, cuius laudibus nunquam ille deest, blandiebatur, quam si antiquam amplissimi ordinis dignitatem et maiestatem is referre videretur. Itaque ad hunc modum universum locum refingendum esse censeo:

Spectabunt cupidae matres, spargentur et omnes
Flore viae, superas cum Flavia limina consul
Arduus antiqui specie comitante senatus.

Ceterum ex eis, quae modo demonstravimus, colligas non deesse ne contrarium quidem genus eorum versuum, quibus nomina perperam obtrusa officiant. Eiusdem autem generis esse dico IV. Cos. Hon. 436:

Libyae squalentis arenas
Audebit superare pedes, madidaque cadente
Pleiade Gaetulas intrabit Syrtibus undas.

Haec quum in omnibus libris Vaticanis legantur, de vetustissimorum lectione nihil proditum habemus. Quod in codicibus et auctoritate et numero inferioribus est, intrabit navita Syrtes', id aperte fluxit e conjectura. Itaque quod alii sibi licere putaverunt in restituendo versu, idem nobis sumemus. Sed emendationis subsidia conquirentibus quos potissimum poëtas imitandos sibi proposuerit Claudianus haud inutile fuerit meminisse. Eosque supra diximus ex optima aetate fuisse Vergilium, cx subsequente non, sicut Barthio, iudici cupidiori, videtur, P. Papinium Statium, sed M. Lucanum. Quamquam in odorandis imitationis factae indicis suum quisque iudicium sequitur. Quid quod Burmannus p. 113^b. Claudianum haec sribentem, regumque recentes exuviae tibi ludus erant' (III. Cos. Hon. 22.) expressisse vult Vergili Aen. IX, 610: ,semperque recentis comportare iuvat praedas'. Itaque ne quid temere iudicaremus aliorum admoniti opinationibus in Claudiani versibus hisce Lucani exemplum agnoscisse nos confidimus: Cos. Prob. Ol. 131. fluxit e Phars. IV, 305.; Rufin. II, 245. — Phars. IV, 353. II, 455. — Phars. V, 355. IV. Cos. Hon. 226. — Phars. VIII, 166. ibid. 436. — Phars. I, 368. et IX, 755. Bell. Gild. 4. — Phars. IX, 1097. ibid. 5. — Phars. IX, 1017. ibid. 159. 160. — Phars. III, 294. 295. ibid. 242. — Phars. V, 729. ibid. 381. — Phars. IX, 878. Cos. Mall. Theod. 232. — Phars. X, 315. Eutrop. I, 220. — Phars. II, 593. 594. ibid. 328. — Phars.

I, 597. 598. Praef. Eutrop. II, 17. — Phars. IX, 273. Eutrop. II, 156. — Phars. II, 304. V, 297. Cos. Stil. I, 152. 153. — Phars. III, 288. 289. ibid. 356. — Phars. IV, 681. Cos. Stil. III, 255. — Phars. III, 402. VI. Cos. Hon. 490. — Phars. IV, 468. Rapt. Pros. I, 19. — Phars. IV, 41. ibid. 244. — Phars. X, 119. Rapt. Pros. II, 122. — Phars. VII, 342. Itaque illius poëtae ope fieri nonnunquam poterit, ut Claudiani versus dubii vindicentur, depravati emendentur. Ac fuit, quum Praef. III. Cos. Hon. 5. 6. propter subsequentem sententiam a Claudiano abiudicarem et e Plin. Nat. Hist. 10, 3. ducta esse eo facilius mihi persuaderem, quod ea est praefationum universa condicio, ut quanta iniuria Claudiani carminibus illata sit inde vel maxime appareat. Sed mutavi sententiam, posteaquam illos versus intellexi e Phars. IX, 903. 904. expressos esse. Contra quum offenderem in hisce: ,iurisque metus servator honesti' (Cos. Stil. I, 163.), si quidem ,ius honestum' vix dici posse videbatur propter iuris et honesti disparem naturam, quo fit, ut honesto ius haud raro opponatur, non potui non putare plus quam fere existimatur valere in Claudiano Lucani exemplum et auctoritatem. Nam illa quum scriberet, spectasse convincitur Phars. II, 389., ubi de Catone haec leguntur:

,Justitiae cultor, rigidi servator honesti.'

Quodsi duo vocabula mutuatus est a Lucano, quidni tertium egregie illis conveniens indidem sumpserit? Itaque adducor ut Cos. Stil. I, 163. scriptum putem fuisse ,rigidiique metus servator honesti.'

Itaque videndum est, ne idem remedium afferri possit versui supra proposito. Ac ne illud quidem casu factum est, quod quum Stiliconem diceret et terrae et maris pericula pro Romana salute subire paratum esse, exempli causa Libyae solitudines et Syrtes commemoravit. Etenim illae ipsae partes apud Lucanum ita sese excipiunt, ut IX, 324—347. classis calamitas describatur in Syrtibus accepta, paullo post (inde a v. 371.) Catonis cum exercitu iter per mortiferos Libyae tractus. Iam quum in describenda gravissima tempestate ita Lucanus versetur, ut Austrum cum summo navigantium incommodo faciat in Syrtibus debacchantem et aquas inde exturbantem (I, 498.):

,Qualis, quum turbidus Auster
Reppulit e Libycis immensum Syrtibus aequor,
quibus congruunt haec IX, 322: (Auster)

— longeque a Syrtibus undas
Egit et illato confregit litore pontum —
eandem sententiam Claudianus videtur arreptam ita expressisse:

,madidaque cadente
Pleiade detrusas intrabit Syrtibus undas.'

Sed haec tota opera atque omne omnino studium in Claudio carminibus emendandis collocatum vereor ne ad merum ludibrium recidat et probabilitate et utilitate destitutum, nisi certum librorum fundamentum exquiratur eorum, quibus inniti universa quaestio possit. Ac plurimum auctoritatis Nicolaus Heinsius tribuit libris Lucensi, Gyraldino, Vaticano Livineii, denique Vaticano primo. Ex his quod Vaticano primo quamvis recentiori et plerumque deteriori (v. Heins. praef. p. V.) plus fidei fere habuit quam illis, ideo vix mireris, quod huius codicis ipsi potestas facta erat ita, ut inspici et cuivis illius poëtac carmini adhiberi posset: contra illorum possidebat excerptas quasdam lectiones easque casu potius quam ratione arreptas, omissas in perditissimis versibus, in planis et integris nullo commodo adiectas, atque Lucensis, satis oscitanter descriptas (praef. p. V.): quae res huius libri fidem, utriusque utilitatem, sicut erat consentaneum, imminuit. Tametsi utriusque codicis in emendando Claudio rationem semper habuit, auctoritatem persaepe secutus est, quamquam non ea ut temporibus illis iudicii constantia et subtilitate, quae nunc fere obtinet: qui quidem ne Vaticani quidem lectiones suis momentis ita semper ponderaret, ut plenum inde percepisse fructum subsidii videretur. Nam quae de Honorio puero praedicantur III. Cos. Hon. 74: *Optatas audire tubas campique cruenta Tempestate frui truncisque immergere plantas in eis deteriorum codicum scripturam perspicue vitiosam maluit amplecti quam e sui libri indicis verum colligere: qui quum habeat, iniungere patet aut ipsum Heinsium festinantis id quod exstabat legisse aut certe scriptum antiquitus fuisse, impingere; at immergendi verbum pravo artificio ei poëtae obtruserunt, qui unde ortum esset, iniungere non assequerentur. Porro qui Eutropii consulis facti mores cum irrisione laudat, facilitatem et munificentiam commemorat, quid quae sois sibi vult proximo versu? Haec enim subnectuntur (Eutrop. I, 366.): Quidlibet ingenio subigit traditque fruendum; Quidquid amas, dabit illa manus. Nam illa, quidlibet ingenio subigit quid valeant frustra quae siveris: quamquam ita sunt collocata, ut simile quid olim continuisse sententiae proximae, traditque fruendum convineantur. Sed in Vaticano primo non exstat, subigit, sed, subicit et praeter id quod fere editur, ingenuo. Itaque idonea et probabilis sententia nullo negotio efficitur ita: Quidlibet ingenuos subicit traditque fruendum. Erroris principium ab omissa altera litera sequidem repetiverim: qua restituta veteris et bonae scripturae vestigium oritur. Posterius vocabulum corruptum esse vix quis-*

quam mirabitur ,c in g mutato, ut saepissime in antiquis libris' (Heins. p. 366^a.), praesertim quum numeris ita subveniri videri posset. At sicut hic, ita Rapt. Pros. III, 134. posuit ,subicit', obicis' IV. Cos. Hon. 365. correpta prima syllaba: quamquam ne alteram quidem mensurae rationem reiecit. Itaque confirmantur, quae Lucianus Mueller in libro de re metr. poett. Latt. posuit p. 250. Ceterum quam acerbe perstringatur Eutropius appellatus ingenuus, qui servili condicione animoque et natus esset et per maximam vitae partem usus, facile perspicitur.

Sed post Heinsii memoriam vetustissimorum librorum magis magisque deinceps auctoritas concidit: quam a Gesnero saepe consulto neglectam Orellius, quum carmina de Olybr. Prob. et in Rufinum ederet, vix dici potest quot quantisque calumniis affecerit. Etenim illos tot multorum commentis adulteratos esse opinatur, ut vix quidquam fidei eis relinquatur. Quamquam in illo viri docti opere non desunt festinationis documenta ea, propter quae de hominis sano et integro iudicio dubites. Sed de vetustissimorum librorum virtute querenti praeter lectionum commodatarum paucitatem et eius, qui excerptis, neglegentiam ab Heinsio incusatam impedimento est alia res non minus molesta. Inveniuntur enim illae lectiones in libris duobus, in Heinsii editione multis locis commemoratae, in Burmanni universae una cum reliquorum codicum testimoniis. Sed in illis libris quum discrepantiae haud raro compareant, utrum sequaris frusta expediveris. Nam Heinsius operi suo permulta menda obrepisse saepius conqueritur testisque est Burmannus praef. p. XVIII.; is autem, qui ,Syllogam variantium lectionum in Claudianum' confecit Ezra de Clercq van Iever, tanta neglegentia, ut levissime dicam, rem gessit, ut de operis utilitate et auctoritate multum detrahatur. Velut quae in uno ,indice codicum manu scriptorum' peccavit infinitum est enumerare. Itaque quum unius libri Lucensis et in praefatione p. III. et in ipsa editione constanter mentionem Heinsius faciat, Clercuius initio simpliciter commoret ,Exc. Lucens.', deinde ,Exc. Lucens. sec.' primum ad Rufin. I, 35., ,Exc. Lucens. pr.' Ruf. I, 97., atque ita semper post distinguat, idemque de MSS. Lucensibus meminerit p. 805^a., nova difficultas oritur. Quid? quod plurum Gyraldinorum librorum mentionem faciunt Heinsius p. 283^a., Clercuius p. 827^b.? Neque illud taceo, quod praef. p. IV. Heinsius ,Gyraldi annotata' adeo in plerisque cum ,Lucensibus excerptis' consentire arbitratur, ut ,ex uno eodemque codice collecta esse omnino credat.' Quam opinionem non tam audebimus refutare quam in dubium vocare: praesertim si Livinei librum eundem esse cum Vaticano pr. recte affirmavit (praef. p. V.): Atque his rebus omnibus quum turbari atque implicari quaestionem vel maxime viderem, subsidia necessaria comparare adhibitis veteribus editionibus constitui. Quo in negotio quum sublevarer egregia bibliotheca Gottingensis curatorum liberalitate, qui principem

omnium editionem, Vicentinam a. 1482. et Isengrinianam a. 1534. insigni beneficio mihi commodaverunt, tamen irrita res ideo cecidit, quod Camertinae Viennensis a. 1510. potestas quamvis circumspicienti et rimanti adhuc facta non est. Itaque hanc totam quaestionem ad tempus remittimus: neque vero id impetrare possumus a nobis, ut illius libri Lucensis existimationi desimus ab Orellio injuria laesae. In quo exarando non negamus librarii festinatione saepe peccatum esse; concedimus etiam ulti codicem labis adspersae indicia prae se ferre non ,lasciva libidinosa arbitraria', sed rei necessitate effecta tum, quum versuum multorum numeri complendi essent: idque certioribus argumentis effici posse confido quam quae Orellius attulit: attamen negamus ullum librum ad emendanda Claudiani carmina utiliorem esse illo quamvis carptim et particulatim usui posteritatis permisso ab homine non peritissimo. Quod quum ex Heinsiana editione pateat, duobus documentis propositis nos quoque probatum ibimus.

Venus in antro suo quietem capiens carminibus nuptialibus Palladii et Celerinae causa compositis excitatur (Pall. Cel. 28.).

Utque erat indigesta comas, turbata capillos,

Mollibus exsurgit stratis.

Haec quamquam in omnibus libris leguntur, tamen propter sententiam invenuste et praeter poetae consuetudinem finitimus verbis repetitam ferri non possunt. Sed operae pretium est Lucensis libri et Gyraldini lectiones proponere, quae ita inter se dissentunt, ut adversari Heinsii opinioni gravissime hic quidem locus videatur. Sed eas subjicientes non Clercui socordiam, sed Heinsium sequemur: nam in tanta discrepancia alterutrum necessario quum rejicere cogamur, huic quam illi nos tradere malumus. Itaque Heinsius testatur exstare in Lucensi haec:

Utque erat intexta comas, intecta capillos'; in Gyraldino:

, Utque fuit turbata comas, merita capillos'.

In illo libro apparet participium perperam repetitum offecisse ei vocabulo, ex quo penderet ,capillos'; nam ,intecta capillos' despero omnino intelligi posse. Alterumque vitium latere puto in voce ,comas', quae subsequente vocabulo finitimo exploditur. Sed quum vv. 5. 6. et 100. declarent deam nudato pectore et solutis crinibus recubuisse, videndum est ne Claudianus illis convenienter hic scripserit:

Utque erat illa intecta sinus, turbata capilos:

Mollibus exsurgit stratis.

Utut est, ad verum investigandum solus Lucensis liber ducere videtur: in Gyraldino Claudiani manus multo magis obscurata legitur, nisi quis audeat illud ,merita'

putare factum ex , exserta turbatis participiis et incerta de causa transpositis. At illas lectiones indidem repetitas esse nunquam mihi persuadebo. Idem Eutropius posteaquam frustra cum Getis seditiosis de ditione egit, tanto eum fastu reddit, quasi barbaros superaverit (Entrop. I, 252—256): Ille tamen (quid enim servum mollemque pudebit?) Aut quid in hoc potuit vultu flagrare ruboris? Pro victore reddit. Peditum vexilla sequuntur 255. Et turmae similes eumuchorumque manipi, Hellespontiacis legio dignissima signis. Peditum vexilla', id quod in tribus libris exstat, non ipsi poëtae, sed librorum opinionibus assignandum esse efficitur ex eis quae subsequuntur , eumuchorumque manipi!. Sed vitium subesse emendatricem manum requirens prodit Vaticani pr. lectio altera , tunc cum' orta videlicet a scriptura consentiente librorum Lucensis et Gyraldini , unum vexilla sequuntur'. Itaque ab illis vitium nulla arte fucatum aperientibus emendatio necessario proficietur. Nam , unum' quamquam a numerorum ratione non plane abhorret, tamen propter sententiam rejiciemus. Sed illa , pro victore reddit' suadere videntur, ut existimemus latere in , unum' vanum (v. Rapt. Pros. III, 313.). Ceterum , vexilla' quod in quavis manu extraordinaria dicitur ab exercitus descriptione separata, hoc loco designare non male barbarorum et foederatorum auxilia puto: ita ut copiae Eutropium prosequentes tripertito enumarentur, sicut factum videmus Bell. Get. 579. 580: Talia nunc pediti, turmae nunc mixtus equestri Auxiliis. Dicta dabat: simul externis praecpta ferebat

Nam eum rerum ordinem Theodosii consilio institutum utrumque imperium retinuisse consentaneum est.

Sed haec quidem hactenus. Nolumus enim eorum animos diutius morari, quibus nimis diligenter haesisse in singulis rebus videbimus. Nam eum rerum ordinem Theodosii consilio institutum utrumque imperium retinuisse consentaneum est.